Blagostini Bernardini: Assertiones theologicae ex toto quarto libro sententiarum F. Ioannis Duns Scoti.

4.

ASSERTIONES THEOLOGICAE:


EX TOTO QVARTO LIBRO SENTENTIARVM,

F. IOANNIS DVNS SCOTI, DOCTORIS Subti. in Ecclesia S. Bernardini Conuentus Cracouiensis Fratrum Minorum de Obseruantia publicè ad disputandum propositæ.

Disputabuntur Mense Februario, Die 24 *Hora* 19 *obiectis satisfaciente F. Bernardino Bidgostino, sub auspicijs R. P. F. Petri Posnaniensis, Lectoris Generalis, S. T.*

CRACOVIÆ.
Ex Officina NICOLAI Lobij. Anno Dñi 1608.

Florete flores, quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis. Eccleſiaſtici 39.



Quis neget eſſe tuam claro de ſanguine gentem,
Florida conſpicuum cui roſa ſtemma dedit?
Quis carpet de ſtirpe roſas, quis ſumet odorem,
Nì tibi ſit mentis candor odorq́; Dei?

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDIS: DOMINO,
DOMINO MATHIAE
PSTROKONSKI,
EPISCOPO PRÆMYSLIENSI, SVPREMO CANCELLARIO REGNI POLONIÆ.

F. BERNARDINVS BIDGOSTINVS ORDINIS MINORVM de Obseruantia Professus. S. P. D.

SI homines vellent corporum suorum, & tranquillitatis vitæ (quæ sine secunda valetudine nullatenùs haberi potest) curam gerere Præsul amplissime, faterentur vtiq; medicinam præstare omnibus condimentis, & mortalibus summè necessariam esse: quia vt quidam Sapientum rectè ait, Deo Maximo inquit primò gratiæ agendæ sunt, qui nobis vitam largitus est; deinde medicinis, quæ eandem ne tàm facilè in periculum delabatur, vel delapsa prorsus intereat, tuentur ac defendunt. Quod cum ita sit, profectò non incongruè aliquis, qui ad intuendum cœlestis patriæ fœlicitatem, & nunquam perituræ vitæ securitatem, depulsis vitiorum squaloribus, mentis suæ aciem conuerteret, idipsum diceret, ac sentiret, præsertim, si Sacramenta nouæ legis, medicinam salutarem esse, apprimè lapsis necessariam, & antidota quædē æternæ fœlicitatis agnosceret. Et iurè quidem, cum illa tantùm animorum saluti medeantur, quantùm nec certiùs nec velociùs quidpiam corporalium medicinarũ corporibus prodesse potest, vel solet. Nec mirùm, quid enim est medicina corporalis in radicum ac florum temperamentis consistens, in comparatione remediorum, quæ de fontibus Saluatoris profluunt ac emanant? inspiciat quisq; finem, consideret efficaciam; trutinet modum, profectò ipsa re clarè attestante, in hoc ne vnguem vel minimum, ab æqua

lance

lance recti iudicij deuiabit; si ea præstantissima ac efficacissima omnium vulnerum ac infirmitatum animæ remedia, quæ totam naturam humanam dissolutam ad debitam harmoniam, & proportionem reducunt, iudicauerit. Hoc ego non ita pridem admiratus, cum id ipsum quod laboriosa industria peperit, priuatis claudere penetralibus nequaquam esse censerẽ, in publicum prodire, & tanquam merces labore propriò comparatas, hos diuinæ liberalitatis in genus humanum præstantissimos thesauros patefacere constitui. Quod opus cum aggrederer, & diligentissimè considerarem, sub cuius munimine & protectione illud proderem, tu primus Præsul dignissimè occurristi, (de quo nedum præclarum ouile tuum, & vniuersa Respublica, sapientia tua eximia, scientia, ac dexteritate suffulta gloriatur, sed etiã nostra Religio de tuo vel maximè singulari patrocinio gaudet) vt tibi saltem hoc exile studij nostri Theologici munusculum, cũ aliud non suppetat, in gratiarum actionem, tuæ humanissimæ erga nostram Religionem beneuolentiæ, ac liberalissimæ munificentiæ, offerrem ac dicarem. Accipe igitur Præsul meritissime, hilari fronte, hoc grati animi nostri, erga te testimonium, & Religioni nostræ tuis præsidijs confidenti, patrocinari non desistas. Vale.

ASSERTIONES THEOLOGICAE:

DE SACRAMENTIS in communi.

I.

SAcramentalem gratiam tanquam formam excellentissimam, & nobilissimam, qua dignè recipientes Sacramenta à Deo exornantur, nulla creatura quantumcunq; perfecta, à materia abstracta, & à Deo ad supernaturalem rerum ordinem eleuata, etiam per absolutam Dei potentiam producere potest, siue dependenter, siue independenter à causa prima, siue per formam intrinsecam, siue per formam ab extrinseco, sibi comunicatam & impressam agat, vel agere possit.

II.

Potissima huius impossibilitatis causa est, quia talis gratia, cùm sit qualitas supernaturalis, superans naturam & vires naturales, sola actione creatiua producitur, & nullo modo ex potentia naturali vel obedientiali animæ educitur; nulla auté creatura quantumcúq; perfecta, potest habere actionem aliquam respectu termini creationis, tanquam causa principalis, excludens omnem causam superiorem agentem.

III.

Nulla etiam creatura potest in terminum creationis per formam propriam intrinsecam, vel ab extrinseco sibi communicatam, esto in sua actione præsupponat superius agens; non propter aliquem modum se tenentem ex parte creaturæ, aut infinitatem termini à quo, vel ad quem ipsius creationis & distantiæ, quæ inter eos habetur, sed propter modum creandi tenentem se ex parte creantis.

IV.

Non solùm vt causa principalis, verùm nec vt causa minùs principa-

lis, totalis vel partialis, aut instrumentalis physica, potest Sacramentum, vel alia quæcunq; causa secunda producere gratiam Sacramentalem, aut vnionem ipsius gratiæ cum subiecto: neq; tamen Sacramenta solùm significant, aut vt conditiones, sine quibus non, causant ipsam gratiam: sed vt verè causæ instrumentales, morales tamen, non physicæ.

V.

Ponere & asserere aliquam virtutem supernaturalem, quæ sit forma realis & absoluta permanens, vel successiua intrinsecè inhærens ipsis Sacramentis, nec est possibile, nec necessarium. Neq; tamen omnis omninò virtus est tollenda à Sacramentis, sed est illis concedenda virtus moralis, ratione cuius Sacramenta continent, & causant gratiam Sacramentalem.

VI.

Sacramentum in communi, non solùm definitione dicente quid nominis, sed etiam alia longè perfectiori dicente quid rei extra animam, definiri potest, & rectè definitur hoc modo: Sacramentum est signum sensibile, gratiam Dei ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris; Neq; tamen illa definitio Magistri Sententiarum: (Sacramentũ est inuisibilis gratiæ visibilis forma,) vt imperfecta reijcienda est, si ei, quæ desunt addantur, & ipsa definitio suppleatur.

VII.

De ratione Sacramenti genericè sumpti, est esse signum rei sacræ, non tamen omnia signa rei sacræ, censenda sunt propriè Sacramenta. Est autem de ratione Sacramenti esse signum rei sacræ, tàm ex parte rei significantis, quàm ex parte rei significatæ: quare formalis ratio Sacramenti constituitur, ex ratione signi demonstratiui moraliter, & ex ratione efficaciæ, ratio tamen signi se habet ad Sacramentum vt generica, ratio verò efficaciæ, vt specifica.

VIII.

Sacramenta sunt de facto instituta, nulla tamen erat necessitas simpliciter ea instituendi, ex parte Dei vel effectus inuisibilis: Sunt autem instituta à solo Deo immediatè, vel à Christo, vt Deo & homine, quoad rationem completam, & perfectam Sacramenti: poterant tamen institui ab aliqua creatura, ex commissione diuina, quoad determinationem signi &

gni, & rationem genericam, nullo verò modo quoad rationem completam & specificam.

IX.

In statu innocentiæ vel in statu patriæ & beatitudinis cœlestis, vbi nullum est vel fuit peccatum, nullum erat instituendum Sacramentum propriè dictum, vt remedium vel auxilium : post lapsum verò pro tempore alterius, & alterius legis erat congruum instituere, alia & alia simpliciter Sacramenta, quantùm ad sensibilia significantia, quantùm verò ad significationem gratiæ, alia & alia secundum quid.

X.

In statu legis naturæ fuit aliquod Sacramentum propriè dictum, per quod paruulis peccatum originale remittebatur. Illud autem non fuit sola fides, sed fides verbo vel facto aliquo protestata & explicata, etiam respectu paruulorum, respectu verò adultorum, probabile est fuisse aliquod Sacramentum, vel Sacrificium institutum, quod haberet rationem Sacramenti propriè dicti.

XI.

In statu legis scriptæ, Sacramenta, si cum gratiæ dispositione, & fide seu quocunq; alio bono liberi arbitrij motu recipiebantur, erant gratiæ & glorię ex opere operantis meritoria. Nullum tamen Sacramentum, quod erat præcisè illius legis, ex opere operato gratiam conferebat, sed tantùm ex opere operãtis, & bono motu recipientis vel ministrantis Sacramentũ.

XII.

Circumcisio ex vi Circumcisionis, tollebat à paruulis & adultis peccatum originale, conferendo ipsis non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato gratiam. Et quamuis de potentia absoluta, posset Deus delere culpam originalem sicut & actualem, absq; vlla gratiæ infusione, tamen secundum potentiæ ordinatæ modum, culpa originalis, vel aliquod aliud peccatum mortale, non dimittitur sine gratiæ infusione.

XIII.

In statu legis nouæ, septennario Sacramenta continentur numero, quibus vt auxilijs & adiutorijs, ad gratiam solus Deus legem Euangelicã, tanquam perfectissimam, quam Trinitas disposuit, dare homini pro statu

viæ, adornauit. Et propterea Sacramēta legis nouæ, sunt longè perfectiora, & quoad intensionem, & quoad extensionem veteris legis, Sacramentis. Hanc autem perfectionem & efficaciam habent à passione Christi, vel Christo patiente, tanquam à causa meritoria, à Deo verò, vt à causa principali agente.

DE BAPTISMO ET CONfirmatione.

XIV.

BAptismus seu Sacramentum baptismi, est Sacramentum ablutionis animæ à peccatis, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua, ab alio abluente, & in verbis certis simul, ab eodem abluente, cum debita intentione prolatis. Ad hanc definitionem est reuocanda illa à Magistro proposita: Baptismus est tinctio corporis exterior facta, sub forma verborum præscripta.

XV.

Propriè loquendo de forma, vt est altera pars compositi, forma Sacramenti huius est ipsa relatio signi, qua formaliter est tale Sacramentum, cuius totale fundamentum, est sola materia, ita, vt eam nihil aliud fundet, vt totum fundamentum vel pars fundamenti, licet etiam alia concomitantia prærequirantur. Vt verò verba dicuntur esse priora & actualiora ipsa materia, sunt per quandam similitudinem forma, ablutio autem vt posterior & actuabilis est materia.

XVI.

Forma quæ consistit in verbis, alia est necessaria Ministro, alia est necessaria necessitate Sacramenti. Illa est necessaria Ministro, qua Minister Ecclesiæ Romanæ, vti debet ministrando, vt licitè & dignè ministret. Illa autem est necessaria necessitate Sacramenti, sine qua validè Sacramentum non conficitur, & propterea requiritur necessariò, vt essentiale ipsius formæ, inuocatio Sanctissimę Trinitatis, verbis explicitis & distinctis expressa.

XVII.

Nomina ſignificantia proprietates, & non perſonas vel perſonalitates, & nomina Sanctiſſimam Trinitatem implicitè continentia, non validè ad formam Baptiſmi adhibentur, & ideò forma à Chriſto præſcripta vtendum eſt, cui ſi aliquid repugnans, vel diminuens addatur, nihil fit; ſi verò illa eadem forma varietur, ſecundùm congruitatem terminationis accidentalis, validum eſt Sacramentum, quando talis variatio, non tollit conceptum, per verba ſignificatum.

XVIII.

Sola aqua naturalis, pura, eſt materia remota Baptiſmi, aquæ verò artificiales illæ, quę communiter dicuntur artificiales, & ſunt corpora quędã mixta, cũ non ſint aquæ niſi æquiuocè, nullo modo ſunt aptę, pro materia huius Sacramenti. Pura tandẽ debet eſſe aqua, oppoſita impuritati & mixtioni, nõ ſolũ per iuxta poſitionẽ, ſed etiã per alterationẽ alterantẽ à ſpecie. Materia verò proxima huius Sacramẽti, eſt ipſa ablutio viſibilis

XIX.

Inſtitutio Baptiſmi præceſſit promulgationem eiuſdem, ex vi tamen inſtitutionis, non obligabat antequam promulgaretur; cuius promulgationis fuerunt duo tempora: vnum, per modum conſilij, à principio promulgationis Euangelij, vſq; ad diem Pentecoſthes; ſecundũ, per modum præcepti, quod incepit à die Pentecoſthes. Circumciſionis verò quatuor aſſignantur tempora, quæ etiam poſt Baptiſmum promulgatum ſub præcepto, cum alijs legalibus euacuata fuit.

XX.

Poſt Baptiſmum promulgatum per modum præcepti, quilibet qualitercunq; iuſtificatus, qui non impleuit illud præceptum, & cum quo Deus non diſpenſauit ſpecialiter, tenetur ad Baptiſmum affectu, & pro tempore & loco effectu. Cuilibet autem dignè recipienti æqualiter Baptiſmus ex ratione ſua confert gratiam, quamuis aliundè, in Baptiſmo, maiorem vel minorem ab vno quàm ab alio, poſſe recipi gratiam non ſit negandum.

XXI.

Paruuli ſunt Baptizandi, recipiuntq; effectum Baptiſmi, qui ſi ſecundùm omnes partes corporis ſunt in vtero matrum, non poſſunt Baptizari;

si verò secundùm aliquam partem principalem, vel minùs principalem animatam, apparent extra vterum, sunt Baptizandi, & recipiunt effectum Baptismi. Idem sit iudicium de paruulo exposito, cum quo si inueniantur certa signa, quod sit Baptizatus, non est Baptizandus; secus autem si non inueniantur.

XXII.

Iudæorum & aliorum infidelium paruulos, princeps ille cui in regimine Reipublicæ subditi sunt, etiam inuitis eorum parentibus (modò illis prouideat post Baptismum de Christiana educatione) Baptizare potest: imò religiosè & Christianè fieret, si etiam ipsi parentes cogerentur minis & terroribus, ad suscipiendum Baptismum, & ad conseruandum susceptum.

XXIII.

Adultus qui non vtitur nunc ratione, nec vsus est vnquam, Baptizandus est, vel si speratur aliquando illum ratione vsurum, tempus illud expectandum est; si verò non vtitur nunc ratione, sed aliquando vsus est, tunc supponitur nunc habitualiter consentiens vel dissentiens, secundùm quod se habuit in sanitate, antè istud impedimentum immediatè.

XXIV.

Quod si etiam adultus vtatur nunc ratione, & dissentit nunc, contrariè & simpliciter, consentit verò secundùm quid, non recipit validè Baptismum; si verò tantùm negatiuè dissentiat, sed virtualiter & habitualiter consentiat recipit verè Sacramentum.

XXV.

Ad hoc vt validè Baptismus suscipiatur ab adultis, requiritur in ipsis voluntas & intentio suscipiendi Baptismum, vt est ceremonia à Christo instituta, in adultis quidem ratione vtentibus, saltem virtualis vel habitualis; in non vtentibus verò ratione, qui aliquando ea vtebantur, sufficit habitualis; sed in his qui nec habuerunt rationis vsum, nec nunc ratione vtuntur, nec habitualis, nec virtualis voluntas vel intentio requiritur.

XXVI.

Vt autem non tantùm validè, sed etiam rectè & absq; peccato Baptismus suscipiatur ab adultis, requiritur præter voluntatem & intentionem

onem ſuſcipiendi Baptiſmum, omnis impedimenti ac fictionis remotio, & vltra hoc recta fides & debita ſaltem per attritionē, ad gratiam diſpoſitio. Non ſufficit autem ad recipiendā gratiam Baptiſmalem & ſalutem, virtute huius Sacramenti, ſolus animus recipiendi Sacramentum, etiam cum carentia ipſius affectus actualis aut virtualis ad peccatum.

XXVII.

Licet characterem, ex Baptiſmo ineſſe animæ non poſſit probari per naturalem rationem, experientiam, & authoritates Sanctorum euidentes, debet tamen poni, propter authoritatem Eccleſiæ. Eſt autem character ſignum ſpirituale & indelebile, ratione cuius poteſt quis recipere vel miniſtrare Sacramenta, qui in tribus duntaxat imprimitur Sacramentis: Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine.

XXVIII.

Subiectum characteris non eſt intellectus, vel animæ eſſentia, ſed potentia volitiua, ſicut & gratiæ, ad quam illa ſupernaturalis forma ex ordinatione diuina diſponit, vt forma imperfectior ad perfectiorem; differt autem character iſte ab alijs ſeipſo formaliter, extrinſecè verò per differentiam & diſtinctionem, à diſtinctis Sacramentis deſumptam.

XXIX.

Miniſter ſiue Hæreticus, ſiue Schiſmaticus, ſiue etiam in peccato exiſtens, ſi intendat facere quod facit Eccleſia, & ſeruet modum Eccleſiæ, verè confert Baptiſmum, ſi non obſtat malitia recipientis. Recipiens verò Baptiſmum à præciſo ab Eccleſia, vel offerens illi paruulum Baptizandum, ſi non adſit alius, nec ſit poſſibile habere alium, non peccat. A non præciſo etiam ab Eccleſia ſed permiſſo, ſi eſt occultus peccator, poteſt Baptiſmum recipere, ſemper tamen meliorem, vel cui ex officio incumbit conferre Sacramentum, alijs præferre debet.

XXX.

Cum periculo vitæ corporalis paruuli ſuſcipientis Baptiſmum, nullus debet Baptizare, & hoc ſi ſint certa ſigna de morte ei per hoc inferenda vel acceleranda; ſi tamen non ſint ſigna certa, ſed leuia & irrationabilia, quæ ex erronea procedunt conſcientia, & non adſit alius qui poſſit Baptizare, Baptizare poteſt, conſcientia erronea depoſita: ſtante vero conſcientia illa erronea Baptizare non debet.

XXXI.

Quodcunq; ſuppoſitum intellectuale, quod poteſt abluere per motionem corporis ad aquam, & proferre verba, & habere intentionem debitam, poteſt Baptizare; congruum tamen eſt id à viatore fieri, & ab eo magis, qui maiorem in Eccleſia authoritatem habet, ita, vt ſolus Sacerdos ſit ordinarius huius Sacramenti Miniſter. Laici verò tantùm tempore neceſſitatis, ſeruato tamen inter ſe ordine dignitatis, Baptizare debent.

XXXII.

Quamuis etiam vniuerſaliter congruum ſit ab homine viatore conferri hoc Sacramentum, & non ab Angelo: ſi tamen Angelus bonus Baptizaret in corpore aſſumpto, imò & malus, & conſtaret per reuelationem, vel quocunq; alio modo certo, hoc eum feciſſe ex præcepto Dei, eſſet validum Sacramentum, nec Baptizatus eſſet de nouo Baptizandus, ſed ſine certa ſuper hoc reuelatione credendũ ei non eſſet, quod verè Baptizaret.

XXXIII.

Vnus plures, & plures vnũ verba proferendo & abluendo, Baptizare poſſunt; non verò aliquid ſeorſim & non totum faciendo, & hoc ſi illi plures ſint manifeſtè diſtincti; ſi verò Baptizandos, plures eſſe nõ ſit manifeſtum, expectetur tempus diſcretionis, in quo per actum intellectus & voluntatis ſuppoſita diſcernantur, & tunc ſigillatim Baptizentur, ſi diſtincta ſuppoſita eſſe conſtet; ſin minùs, tunc in partibus principalibus, ad vnum pertinentibus, abluantur, cum forma verborum præſcripta.

XXXIV.

Simultas ad ablutionem & prolationem verborum eſt neceſſaria, talis qualis requiritur in actibus humanis, vt ſcilicet incipiat vnum antequã finiatur aliud, ſecundùm æſtimationem & iudicium morale; iudicatur autem ſimultas inter factum hominis & verbum, quando incipit vnum antequam totaliter finiat aliud.

XXXV.

Baptizans debet eſſe diſtinctus ſuppoſito à Baptizato, neq; idem ſeipſum Baptizare poteſt. Ad validam etiam huius Sacramenti collationẽ, requiritur in Miniſtro conferente & Baptizante intentio, & reſpectu actus, & reſpectu finis, formalis vel virtualis, reſpectu verò finis proximi

vel in

vel in particulari, vel in vniuersali, nũquã autẽ sufficit habitualis intentio

XXXVI.

Sacramentum Baptismi non est iterabile, etsi iteretur de facto, non habet effectum suum, cuius causa & ratio non est alia nisi volũtas diuina, instituens Baptismum initerabilem: neq; Baptizantem pluries vnum, vel suscipientem pluries Baptismum, siue publicè, siue priuatim, vllo modo excusat à grauissima culpa & pœna ignorantia iuris.

XXXVII.

Confirmatio seu Sacramentum Confirmationis, est vnctio hominis viatoris, aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam vsi, facta in fronte, in figura Crucis, cum chrismate Sanctificato, & hoc à Ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente, & verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione diuina, vnctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum constantia fidem Christi.

XXXVIII.

Minister Sacramenti Confirmationis, est solus Episcopus, & non simplex Sacerdos. Materia est oleum balsamo mixtum, & ab Episcopo benedictum : forma verò est illa, quæ his exprimitur verbis: Signo te signo crucis, & consigno te chrismate Salutis. Suscipiens est solus Baptizatus, & adultus, eius effectus est augere gratiam, hominẽ roborare, & in fide charitate formata, firmare.

DE SACRAMENTO EVcharistiæ.

XXXIX.

EVcharistia, quæ est bona gratiã cõferens refectionem animæ spiritualem, est præstantissimum nouæ legis Sacramentum, Corporis Christi & Sanguinis veraciter contenti, sub speciebus panis & vini, post consecrationem factam à Sacerdote, sub verbis certis, cum debita in-

tentione prolatis, ex institutione diuina, veraciter signans Corpus Christi Domini, & Sanguinem sub eisdem speciebus realiter contineri.

XL.

In hoc Sacramento, sicut est vna consecratio, vnitate integritatis, nõ verò indiuisibilitatis, sic etiam est vna forma consecrationis vnitate integritatis, non indiuisibilitatis, continens in se plures formas partiales, corporis scilicet & sanguinis. Corporis quidem hæc est, & non alia forma, (Hoc est enim corpus meũ) in qua coniunctio (Enim) ponitur propter connexionem, reliqua verò verba, quæ præcedunt & sequuntur formam, non sunt de necessitate Sacramenti, requiruntur tamen ad hoc necessariò, vt verba Sacramentalia, ex vi verborum significent illud, quod efficitur ex vi Sacramenti.

XLI.

De forma Consecrationis Sanguinis, non est nobis certitudinaliter traditum; an reliqua verba, vltra illa essentialia (Hic est enim calix Sãguinis mei) vsq; ad illud (vnde & memores nos) sint de necessitate Sacramenti: quilibet tamen Sacerdos illa proferre distinctè, & cum deuotione tenetur: De illis autem, (hoc facite in meam commemorationem) certum est, quod non pertinent ad essentiam formæ, sed ad præceptum de vsu Consecrationis.

XLII.

In forma Consecrationis Eucharistiæ illud pronomen (HOC) demonstrat pro vltimo instanti completæ prolationis singulare entis, non autem alicuius minùs vniuersalis, & hoc ex determinatione, non ex vi vocis, & licet pronomen (HOC) non supponat per se, nisi singulare entis, tamen intelligitur pro singulari alicuius inferioris, & regulariter pro singulari, quod est Corpus CHRISTI.

XLIII.

Sacramentum hoc potest absolutè recipi à non ieiunis, licitè tamen & vtiliter, non nisi à solis ieiunis, tamen in aliquo casu potest recipi, etiã ab illis licitè & vtiliter, vt in graui infirmitate, vbi timetur, vel adest periculum

culũ mortis, ſimiliter in defectu, qui ſolet accidere circa Conſecrationem Sanguinis CHRISTI, proferendo verba Cõſecrationis ex inaduertentia ſuper aquã, omninò debet de nouo Conſecrari & ſumi, etiam ſi tunc non ſit ieiunus Sacerdos.

XLIV.

Suſcipiens hoc Sacramentum ſi exiſtit in peccato mortali de quo nõ pœnituit nec pœnitet, ſi id ex malitia faciat, peccat mortaliter, ſi autem ex ignorantia inuincibili, non item. Similiter licet ſibi certò conſtet, ſe eſſe in peccato mortali, ſi tamen neceſſitate vrgente & præmiſſa contritione debita, cum alijs circumſtantijs requiſitis, ſumat, non peccat mortaliter.

XLV.

Corpus CHRISTI verè & realiter in Euchariſtia cõtineri, eſt de ſubſtãtia fidei, eo modo, quo cuiuslibet Sacramenti veritas ad fidei articulos pertinet, non obſtante quantitate Corporis CHRISTI, & ſpecierum panis & vini, aut modo quantitatiuo, qui poteſt ſeparari à Corpore CHRISTI ipſo remanente quanto, non obſtante etiam vbi ſeu præſentia quam habuit & habet CHRISTVS in Cœlo.

XLVI.

CHRISTVS DOMINVS vel Corpus CHRISTI ex vi Conſecrationis continetur ſub ſpeciebus Panis & vini, tanquam proprium ſignatũ & contentum illarum ſpecierum, vt eſt primum perfectibile ab anima, nec vt ſic per ſe primò includit animam, accidentia, vel Sanguinem, ſed concomitanter tantùm.

XLVII.

Vnum Corpus eſſe in diuerſis locis circumſcriptiuè, nullo modo ex intrinſeca ratione repugnat, & hoc poſſet Deus ſecundùm ſuam potentiã abſolutam facere. Similiter in vno loco circumſcriptiuè, & in alio Sacramentaliter, imò de facto Corpus CHRISTI eſt in Cœlo quantitatiuè, & in Euchariſtia Sacramentaliter.

XLVIII.

Eſt autem Corpus CHRISTI in Euchariſtia, non per ſolam panis in Corpus CHRISTI conuerſionem, aut mutationem alicuius alterius in ipſum, nec per mutationem deperditiuam Vbi in Cœlo, aut mutationẽ

ſpecierum, ſed per mutationem accidentalem, in Corpore CHRISTI acquiſitiuam illius præſentiæ nouæ in altari, ſine amiſſione tamen illius, quã habet in Cœlo.

XLIX.

Ante incarnationem potuit, ita vera Euchariſtia fuiſſe, ſicut & nunc, & hoc tàm quantùm ad ſignificationem, quàm quantùm ad rem ſignificatam & contentam: poſt incarnationem etiam poſſet Corpus CHRISTI deſinere eſſe, ſub modo naturali, & tamen Euchariſtia verè maneret, quãtùm ad veritatem ſigni, & quantùm ad veritatem ſignati, & contenti.

L.

Exiſtentia Corporis CHRISTI, quantùm ad duos illos modos exiſtendi, naturalem videlicet & Sacramentalem, eſt indifferens, & ita poteſt ſaluari ſub vno, atq; ſub alio: neuter etiam modus dependet ab alio neceſſariò, ſed contingenter, ſic quod vnum ab alio ſeparari non eſt impoſſibilè, neq; vnus eſt de eſſentia alterius, & cauſa illius.

LI.

Licet Corpus CHRISTI poſſit habere exiſtentiam ſub vno modo, eſto non habeat eam ſub alio, Corpori tamen CHRISTI naturaliter exiſtenti, & eidem Sacramentaliter exiſtenti, inſunt eædem partes & proprietates, quàmuis nulla ſit neceſſitas ſimpliciter, quòd ſi ſub modò naturali habet partes, & proprietates; quòd habeat eaſdem ſub modo Sacramentali.

LII.

Quæcunq; etiam operatio ineſt CHRISTO primò in Cœlo, eadẽ etiam concomitanter ſibi poteſt ineſſe in Euchariſtia, ſenſationes tamen & aliæ operationes, quæ ſunt totius per ſe primò vt ſubiecti, primò in Euchariſtia ineſſe non poſſunt. Intellectio verò & volitio, quæ inſunt animæ per ſe primò vt ſubiecto poſſunt ibi primò ineſſe.

LIII.

Nec propriè nec extenſiuè ſumpto motu, Corpus CHRISTI ab aliqua creatura in Euchariſtia moueri poteſt; ſed tantùm à prima cauſa immediatè, poteſt tamen motu illo quo mouetur primò in Cœlo, moueri concomitanter in Euchariſtia. Et licet quacunq; potentia actiua, ſiue ex parte principij & termini ſimul, ſiue tantùm ex parte principij ſpirituales

poſſit

poſſit vti CHRISTVS in Euchariſtia, non tamen anima CHRISTI poteſt Corpus proprium mouere in Euchariſtia.

LIV.

Intellectus noſter pro ſtatu viæ non poteſt naturaliter videre Corpus CHRISTI in Euchariſtia, poteſt tamen intellectus à ſenſibilibus abſtractus. Intellectus etiã beatus, nullo modo per actũ beatificũ Corpus CHRISTI in Euchariſtia videt. Poſſet etiã Deus de potentia ſua abſoluta cauſare in oculo glorioſo, vel non glorioſo, viſionẽ illius Corporis, non tamen illa viſio etiam ſic cauſata eſſet illius, vt in Euchariſtia primò.

LV.

Solus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus, eſt materia conueniens conuerſionis in Corpus CHRISTI, & ſimiliter ſolùm vinum expreſſum de vua vitis, eſt materia conueniens in hoc Sacramento transſubſtantiationis in Sanguinem CHRISTI DOMINI. Apponere autem aquam vino, quamuis non ſit de neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de neceſſitate Miniſtri & præcepti, quæ ita tempeſtiuè eſt apponenda, vt conuertatur in vinum, ante calicis conſecrationem.

LVI.

Transſubſtantiatio eſt tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam quare virtute creata non poteſt fieri, ſed ſoli virtuti actiuæ increati agentis eſt poſſibilis, quæ de facto in hoc Sacramento totam præexiſtentem ſubſtantiam panis conuertit in totam ſubſtantiam Corporis CHRISTI, & totam ſubſtantiam vini in totam Sanguinis.

LVII.

Huius transſubſtantiationis formalis terminus, non eſt compoſitum ex materia & anima intellectiua, vt dat eſſe corporeum, nec materia vt habet modum quantitatiuum, ſed forma corporeitatis, vt eſt altera pars compoſiti, quod eſt proximum receptiuum animæ.

LVIII.

Licet virtute diuina omne ens creatum, totaliter conuerti ſeu tranſſubſtantiari in aliud ſit poſſibilè, quæ poſſibilitas oritur ex plena obedientia cuiuslibet entis creati ad Deum, enti nihilominùs creato conuerti in deitatem, vel deitati in ens creatum omninò repugnat, quare nec natura diuina poteſt conuerti in aliud, nec etiam aliquod ens creatum in naturã

diuinam: poteſt autem conuerſio creaturæ in creaturã eſſe non ſolùm in præſens,ſed etiam in diſtans.

L IX.

Conuerſio panis in Corpus CHRISTI non poteſt verè exprimi & ſignari,per verbum eſſendi vel fiendi,nec etiam per verbum poſſe vel poſſibilè, & hoc ſecundùm quamcunq; temporis differentiam, & propterea præpoſitio exprimens conuerſionem panis in Corpus CHRISTI, nunquam poteſt formari vera poſito vtroq; termino in recto, ſed alterum extremorum eſt ponendum in obliquo, addita præpoſitione DE,aut EX, vel etiam addendo ad terminum ad quem præpoſitionem IN

LX.

Implicat contradictionem accidens pro per ſe ſignificato, intelligere non eſſe in ſubiecto,& ſimiliter accidens reſpectiuũ pro denominato extendendo ſubiectum ad fundamentum. Accidens tamen quodcunq; abſolutum in concreto ſumptum, eſt ſeperabile à ſubiecto,& inhærentia actualis,non eſt de eſſentia eius, ſed ſecundariò importatur ab ipſo, quæ ſi actualis ſit, reponitur in prædicamẽto relationis extrinſecus aduenientis.

LXI.

Subiectum accidentis proximum non eſt ſola ſubſtantia,ſed etiam accidens,remotum tamen ſiue vltimatũ,ſola pręcisè eſt ſubſtantia. Porrò accidens reſpectiuum licet non poſſit exiſtere ſine proximo ſubiecto, poteſt tamen ſine remoto,accidens verò abſolutum in ſe conſideratum poteſt manere ſeparatum etiam à quocunq; proximo ſubiecto, de facto tamen ſola quantitas eſt ſic ſeparata, non item qualitas.

LXII.

Accidens abſolutum extra ſubiectum exiſtens, vt eſt in Sacramento Euchariſtiæ, nullo modo poteſt vt agens principale totale, vel diſpoſitiuum ſubſtãtiã producere,poteſt tamẽ accidẽs hoc modo ſeparatũ agere intentionali actione in ſenſum, & Phyſica ac reali in contrarium, ſi tamen eſt ſub modo conuenienti ſibi ad agendum.

LXIII.

Poſſibilis eſt manente Euchariſtia permutatio ſpecierum localis, & ſimiliter alteratiua qualitatum mutatio. Condenſatio etiam & rarefactio ſpecierũ contingere poteſt, cauſante eam ſupernaturali agente Deo, & hoc

& hoc nõ aliquo nouo miraculo, sed illa eadẽ volũtate, qua disposuit Eucharistiã esse in Ecclesia, disposuit etiã quòd circà illas species, præsente actiuo naturali, causaret talẽ transmutationẽ, qualem in substantijs conuersis causaret agens naturale, & hoc ne meritum fidei euacuaretur.

LXIV.

Transmutatio corruptiua qualitatum in Sacramento Eucharistiæ agenti creato est possibilis. Corruptiua autem quantitatis soli primo enti increato, est tribuenda. Porrò in transmutatione priori non oportet semper substantiam redire actione diuina, vel agentis naturalis, in posteriori verò necesse est post corruptam quantitatem redire substantiam, immediatè à solo Deo productam.

LXV.

Solus Deus vt agens principale, actione sua cui subest totaliter esse & non esse, vtriusq; termini conuersionis conuertere potest, & de facto conuertit substantiam panis in substantiam Corporis CHRISTI, & substantiam vini, in substantiam Sanguinis. Creatura verò quæcunq; sit illa nullo modo potest actione reali & physica attingere talem conuersionẽ, actio tamen instrumentalis vel ministerialis non est deneganda agenti creato, quòd proferendo Consecrationis verba ministerialiter talẽ causat conuersionem.

LXVI.

Excellentissimum hoc Eucharistiæ Sacramentum, solus Sacerdos ritè ordinatus modo prædicto conficere potest, quicunq; tandem sit, modo possit consecrationis verba proferre, cum intentione debita; Vnde & degradatus potest consecrare. Ad benè nihilominùs & ordinatè conficiendum, prærequiruntur multæ conditiones, tenentes se ex parte ministri, loci, & temporis.

DE POENITENTIA.

LXVII.

POEnitentia quæ est secunda post naufragium tabula, necessaria est hominibus per peccatum à Deo separatis, ad deletionẽ peccati mortalis post

lis post Baptismum commissi, non tamen necessitate absoluta, cuius oppositum includat contradictionem, sed solùm necessitate præfixa à lege diuina, ordinante peccatum puniri, per pœnam tanquam per proprium correspondens.

LXVIII.

Per actum dilectionis Dei super omnia, tanquam per pœnitentiam virtualem, & aliquid æquiualens pœnitentiæ formali, in acceptatione diuina potest aliquis iustificari, & remissionem peccatorum attenta potentia Dei absoluta, adipisci. Nulla etiam est repugnantia, hominem in peccatis existentem, sine pœnitentia formali, vel virtuali, per solam simplicẽ peccatorum, à Deo condonationem esse extra omnem peccati statum.

LXIX.

Deum remittere peccata non est tantùm illa dissimulare aut tegere, neq; etiam solùm nolle vindictam sumere de peccatis, sed est velle placari, & ampliùs peccatorem non habere vt inimicum, & ira, ac odio dignum, sed amicum gratia ornatum, & ad gloriam æternam acceptatum: posset tamen Deus per absolutam potentiam remittere peccata, per solam nolitionem vindictæ & condonationem, culpæ, absq; vlla gratiæ infusione, & ad gloriam acceptatione. Quare remissio culpæ, & infusio gratiæ, non vna mutatio, sed duæ.

LXX.

Pœnitentia interior habitualis est virtus genita ex actibus vindicandi & detestandi commissum, & similiter ex actibus acceptandi, & supportandi pænam inflictam, sed genita ex actibus vindicandi est virtus specialis, ex actibus verò detestandi generalis, sicut producta ex actibus acceptandi pœnam, est generalis, ex actibus verò supportandi specialis.

LXXI.

Est autem pœnitentia interior sumpta pro habitu vindicandi, virtus specialis potentiæ appetitiuæ, non verò intellectiuæ, neq; tamen appetitiuę ordinantis ad seipsum, sed ad alterum vel quasi ad alterum, & continetur sub iustitia, prout in generali dicitur iustitia, omnis virtus ordinatiua ad alterũ, vel quasi ad alterũ, non tamẽ vt pars subiectiua sed potẽtialis.

LXXII.

Hæc virtus eſt iuſtitia punitiua, vt diſtinguitur contra iuſtitiam commutatiuam,& amicitiam,quæ pro fine & motiuo per ſe,remoto tamen, habet bonum legis & communitatis, pro fine verò proximo bonum legislatoris, qui eſt melior communitate & lege, pro fine autem ac motiuo ſecundario & accidentali correctionem puniti,& reductionem in amicitiā priſtinam iniuriati & offenſi.

LXXIII.

Virtus prædicta ſiuè ſequatur regulam in intellectu naturaliter cognoſcibilem ab intellectu Angelico, vel humano, ſiuè etiam regulam quæ habetur ex reuelatione,non eſt Theologica virtus,ſed moralis,nec tamen moralis ſupernaturaliter infuſa,ſed acquiſita, ex pluribus actibus pœnitēdi ſicut oportet, inclinans ad ſimiles actus, ex quibus genita eſt: eſt tamē inter omnes virtutes morales nobiliſſima, virtute præmiatiua excepta.

LXXIV.

Obiectum illius vt eſt hæc particularis virtus,ſcilicet deſtructiua peccati & ſanatiua peccatoris,éſt id quod remanet in peccatore tranſeunte actu peccati interiori & exteriori: illud autem non eſt ſola denominatio extrinſeca deſumpta ex actu præterito non retractato,vel non condonato, neq; etiam denominatio intrinſeca deſumpta ab aliqua qualitate, diſpoſitione, vel habitu vitioſo, vel à relatione reali intrinſecus,vel extrinſecus adueniente, ſed eſt ipſa macula.

LXXV.

Satis improbabilis & reijcienda eſt illa opinio quæ dicit, quòd peccator tranſeunte actu peccati interiori & exteriori denominatur non ſolùm abſolutè peccator, ſed etiam quoad grauitatem, vel multiplicitatem peccatorum, à ſola priuatione iuſtitiæ habitualis,ſeu gratiæ iuſtificantis in ſe vel in ſuis effectibus, ſiuè illa priuatio gratiæ ſit in fieri, ſiuè in facto eſſe, ſiuè talis priuatio abſolutè ſumatur, ſiuè etiam in ordine ad culpam, & talis priuationis cauſam.

LXXVI.

Actus verò prædictæ virtutis ſunt quatuor, ſcilicet: vindicare commiſſum, deteſtari commiſſum, acceptare pœnam inflictam, & patienter

ſupportare eandem: hi quatuor actus dicunt ordinem ad pœnam & triſtitiam, differenter tamen. Primus namque dicit talem ordinem ad pœnam, tanquam cauſa remota ad ſuum effectum remotum, & etiam ad obiectum intentum: Secundus vt cauſa proxima partialis, non intendens effectũ proximũ tantũ: reliqui duo, vt ad obiectũ non verò vt ad effectũ.

LXXVII.

Iſti actus ſunt circumſtantionabiles circumſtantia quadruplicis voluntarij, ſcilicet: velle punire, nolle peccaſſe ſeu deteſtari, velle acceptare punitionem inflictam, & patienter ſupportare eandem. Sic tamen quòd velle vindicare, addit de ratione voluntarij ſupra deteſtari, & deteſtari ſupra acceptare, & acceptare ſupra ſupportare, ſunt etiam circumſtantionabiles alijs circumſtantijs ſpecialibus, obiecti, finis, & modi.

LXXVIII.

Nullus iſtorum actuum vt eſt diſpoſitio præuia ad deletionem peccati mortalis, debet eſſe neceſſariò formatus, ſed ſufficit informis, debet tamen procedere à principio aliquo ſupernaturali, & ex parte intellectus, & ex parte voluntatis, ſi eſt diſpoſitio ad delendum peccatum vt offenſiuum Dei, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum ſupplicij. Illud verò principium ſupernaturale eſt intellectus conſiderans peccatum ſub iſtis rationibus, & voluntas deteſtans illud idem, adiuta auxilio ſupernaturali & inſpiratione diuina.

LXXVIIII.

Deteſtatio peccati vt eſt offenſiuum Dei & inductiuum ſupplicij eſt attritio, & imperfecta contritio, ab auxilio ſupernaturali procedens, quę non ſolùm vt diſpoſitio, ſed etiam vt meritum de congruo ad deletionẽ peccati mortalis, & iuſtificationem peccatoris, quæ ſequitur in termino meriti de congruo requiritur & ſufficit, ſi tamen ſit perfectè circumſtantionata in genere moris, ita quòd nulla circũſtantia præquiſita deſit, nec etiam aliqua inordinata adſit.

LXXX.

Regulariter loquendo, illa pœnitentia, vel dolor vt ſit meritum de congruo reſpectu iuſtificationis & remiſſionis peccatorum, requirit aliquã intenſionem vel extenſionem ſecundùm Dei legem aut voluntatem, & hoc non ſolùm vt eſt ſatisfactoria pro pœna, verùm etiam vt eſt ordinatiua cul-

tiua cul-

tiua culpæ. Poteſt tamen homo ſine vlla intenſione vel extenſione talis actus, iuſtificari per ſolam ſubſtantiam actus pœnitentialis.

LXXXI.

Ille idem motus liberi arbitrij contra peccatum qui dicitur attritio, ſi manet in eſſe naturæ & moris, vſque ad inſtans infuſionis gratiæ fit contritio, extrinſecè quidem ratione gratiæ informantis, intrinſecè verò non per productionem noui actus contritionis, vel mutationem ſubſtantiæ actus præcedentis, ſed ſolùm per mutationem obiecti ſeu finis doloris. Quare attritio & cōtritio ſpecie diſtinguūtur, nō tamē intrinſecè, ſed extrinſecè diſtinctione ſpecifica desūpta ex alio & alio obiecto vel motiuo.

LXXXII.

Per attritionem deletur culpa, vt per diſpoſitionem præuiam ad gratiam iuſtificantem, non quidem in genere cauſæ formalis, tanquā per formam incompoſſibilem totalem vel partialem, ſed in genere cauſæ materialis & efficientis. Per contritionem verò, vt per diſpoſitionem concomitantem, ſic tamen quòd ibi eſt aſſignare ordinem naturæ inter attritionem, vt præcedentem gratiam inter charitatem, & inter actum pœnitentiæ, vt eſt formatus.

LXXXIII.

Pœnitentia accepta pro triſtitia, cauſata à voluntate imperante, vt à cauſa remota, & voluntate nolente ac intellectu conſiderante vt à cauſis proximis, non eſt virtus, ſed eſt paſſio naturaliter concomitans nolitionē actualem alicuius, & conſiderationem actualem illius noliti; poteſt tamē eſſe voluntaria, non quidem voluntate ſeqnente affectionem commodi, ſed voluntate ſequente affectionem iuſtitiæ.

LXXXIV.

Pœnitentia exterior, eſt nouæ legis Sacramentum à CHRISTO DOMINO inſtitutum, per quòd deletur omnis culpa mortalis poſt Baptiſmum commiſſa, eius definitio hæc eſt: Pœnitentia eſt abſolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote iuriſdictionem habente, ex inſtitutione diuina, efficaciter ſignantibus abſolutionem animæ à peccato.

LXXXV.

Materia huius Sacramenti remota ſunt peccata poſt Baptiſmum cō-

missa, proxima verò sunt actus pœnitentis. Forma necessaria ex parte Sacramenti, sunt quæcunq; verba, quibus sufficienter actus sententiæ absoluentis exprimitur, & authoritatiua peccatorum remissio explicatur.

LXXXVI.

Forma verò necessaria ex parte Ministri & sufficiens ex parte Sacramēti est illa, qua cōmuniter vtitur Ecclesia. Ego te absoluo &c. in qua, illa quæ vel præmittuntur vel consequuntur, sunt ex consuetudine diuersa diuersimodè in diuersis Ecclesijs, & ex deuotione adhibenda.

LXXXVII.

Hoc Sacramentum quemadmodum & cætera Sacramenta constat & perficitur materia vel quasi materia, & forma, includendo aliqualem compositionem, & constitutionem ex actibus pœnitentis & absolutione, neq; totum hoc Sacramentum in sola materia & actibus pœnitentis, vel in sola absolutione Sacerdotis, sed in vtroq; simul, licet in absolutione principaliter consistit.

LXXXVIII.

Contritio, confessio, Satisfactio, non sunt vllo modo partes essentiales, vel integrales pœnitentiæ virtutis, vt est quædam iustitia inclinans in vindictam peccati. Et similiter ista tria, nullo modo sunt partes pœnitentiæ, vt pœnitentia est actus imperatiuus pœnæ vindicantis culpā, ponuntur tamē partes integrales pœnitentiæ, vt est causa proxima pœnæ infligendæ & etiam ipsius puniri, vt est effectus remotus actus imperantis; pœnitentiæ autē Sacramenti nō sunt propriè partes sed quasi partes.

LXXXIX.

Ad substantiam & efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ requiritur aliquis dolor de peccatis omnibus, cum præposito cauendi in futurum, & nō sufficit sola voluntas suscipiendi Sacramentum, licet non adsit ad peccatū aliquis affectus, vel aliquod interius impedimentum, sed est necessaria displicentia & dolor, qui sit attritio cognita & supernaturalis, & ista sola sufficit ad iustificationem per Sacramentum. Quare contritio perfecta & consummata, cum Sacramento necessaria non est.

XC.

Confessio ad Sacramentū pœnitentiæ prærequisita, & à CHRISTO Domino

DOMINO instituta, est necessaria necessitate præcepti, hæc tamen necessitas non est ex præcepto legis naturæ, sed ex præcepto diuino positiuo & Ecclesiastico. Illa autē necessitas confitēdi quæ est ex præcepto diuino, ortū habet ex illis verbis Ioā: 20: Accipite S. sanctum &c. ex quibus sufficienter talis necessitas confitendi Sacerdotibus colligitur, adhibita declaratione & interpretatione Ecclesiæ.

XCI.

Præceptum de confessione includit quis teneatur confiteri, quòd scilicet adultus: & quid debet confiteri, quòd scilicet solum mortale post Baptismum commissum, & hoc de necessitate, præmissa diligenti inquisitione, secundùm possibilitatem fragilitatis humanæ. Et non solùm peccata, sed ètiam circumstantias speciem mutantes & notabiliter aggrauantes: alleuiantes autem & impertinentes non item. Includit prætereà cui teneatur confiteri, quia Sacerdoti, quando, & qualiter, quia cum displicentia de peccatis.

XCII.

Ecclesia specificauit hoc præceptum diuinum, non quoad omnia sed quoad aliqua: quantùm ad tempus determinauit, quod scilicet semel in anno; quantùm ad personam confitentem, quod scilicet adultus, qui ad annos discretionis peruenit; quantùm etiam ad audientem confessionē determinauit, quod debet esse Sacerdos proprius, quare nullo modo licet confiteri laico vel Sacerdoti alieno.

XCIII.

Proprius Sacerdos est ille, qui habet iurisdictiouem ordinariam, vel delegatam ad absoluendum confitentem, hæc autem authoritas simpliciter principalis soli competit Deo, præcellens soli CHRISTO DOMINO, ministerialis verò & particularis potest conuenire alicui in Ecclesia militanti, quæ authoritas non solum se extendit ad remittendam pœnā, sed etiā ad remittendā culpā, fuitq; tradita Apostolis per illud, Ioa: 20: Quorū remiseritis &c. & vocatur propriè clauis potestatis.

XCIV.

Illud etiam quod ordinatur ad potestatem sententiandi & à peccatis absoluendi, vel cuius vsus ordinatur ad vsum istius, potest dici clauis, & instru-

& instrumentum aperiendi vel claudendi Cœlum, licet remotum, & talis est authoritas cognoscendi in causa peccatoris, & vocatur clauis scientiæ. Non est autem ista clauis scientiæ aliqua scientia actualis vel habitualis, aut discretio quæcũq; sed authoritas cognoscẽdi in causa rei, ad cuius rectũ vsum requiritur scientia actualis, vel habitualis, non tamẽ ad potestatẽ vsus simpliciter.

XCV.

Istæ duæ claues, non sunt idem cum charactere Sacerdotali, quæ est potestas conficiendi Corpus & Sanguinem CHRISTI, nec inter se, imò possent de potentia Dei absoluta separari ab inuicem, de facto tamen & potentia ordinata, committitur vtraq; authoritas & clauis cuilibet Sacerdoti Ecclesiastico complete ordinato, dum recipit ordinem Sacerdotalẽ. Hæc tamẽ potestas absoluendi, quam accipit ex ordinatione, non est proxima sed tantùm remota, fit autem proxima dum iam ordinato per Superiores subduntur aliqui, in quos ille habeat iurisdictionem.

XCVI.

Præter has duas claues (quæ sunt fori secreti) sunt aliæ duæ in Ecclesia, pro foro publico, in quo quispiam excommunicatur, aut absoluitur eisdem quidem nominibus nuncupatę, sed re ipsa distinctę, separabiles ab inuicem. Et illę quę sunt fori secreti, non possunt esse nisi penes personas Ecclesiasticas in Sacerdotali dignitate positas, quæ autem sunt fori publici, possunt esse penes personas sæculares.

XCVII.

Quamuis Sacerdos non in persona Dei sed in propria vt altissimi minister, absoluat, & prædictis clauibus sententiando, & peccatorum defectus cognoscendo vtatur, tenetur nihilominùs iure naturę & Ecclesiastico, peccata sibi in confessione detecta perpetuo celare, & etiam circumstantias, per quas posset quis deuenire in notitiam peccatorum. Et non solùm Sacerdos, sed quicunq; eorum habuerit notitiam, aut per imprudentem Confessorem, aut audiendo confessionem ipsam, & hoc non solùm dum pœnitens viuit, sed etiam ipso defuncto.

XCVIII.

Quodcunq; secretum sibi extra Confessionem detectum, tenetur similiter celare, nec solùm quando exprimit committens se velle illud com mittere

mittere secretum, sed etiam si aliquo alio modo velit id esse secretum si tamen vergeret in detrimentum Reipublicæ, aut tertiæ personæ, tunc illud reuelare posset, peccatum verò in confessione detectum, propter quodcunq; detrimentum Reipub. aut alicuius, nunquam detegi debet, esto aliquis id superior præcipiat.

XCIX.

Satisfactio quæ est tertia pars pœnitentiæ generaliter sumpta, est redditio voluntaria æquiualentis aliâs indebiti, quæ satisfactionis definitio, est commnnis ad contractus & obligationes quascunq;, & tàm in actibus liberalibus, quàm etiam in actibus quodammodo necessarijs inuenitur. Satisfactio verò strictè sumpta, est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntariè assumpta ad puniendum peccatum à se commissum, ad placandam Diuinam offensam.

C.

In virtute Passionis CHRISTI DOMINI potest homo satisfacere Deo pro peccato proprio, ratione cuius acceptatur à Deo talis satisfactio. Potest etiam secundùm potentiam Dei absolutam, purus homo satisfacere Deo pro offensa, secundùm liberalem Dei acceptationem: præcisa Passione CHRISTI, sed secundùm purã & rigorosã iustitiã, nec, purus homo solus, nec in virtute Passionis CHRISTI satisfacere potest.

CI.

Satisfactio interior magis consistit in actibus pœnalibus interioribus & exterioribus, vel passionibus voluntarijs, quàm in alijs actibus bonis non pœnalibus, potest tamen quandoq; per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri Deo. Neq; est necessariùm, quod cuilibet peccato propria & determinata secundùm numerum vel speciem correspondeat satisfactio, sed potest sufficere vna, debet tamen esse talis: quod aliquid eius sufficiat pro vno peccato, & aliquid pro alio.

CII.

Totalis satisfactio interior, si tamen non est diminuta, potest sola reconciliare Deo, & de facto reconciliat satisfacientem, impossibilè tamẽ est hoc modo satisfacere ipsi, pro vno peccato, quin etiam aliquo modo satisfaciat pro alio. Satisfactione autem exteriori, (quæ consistit in actu exteriori, vt distinguitur contra actum interiorem mentis & oris) est

possibilè

poſſibilè ſatisfacere pro vno, eſto nullo modo ſatisfaciat pro alio peccato.

CIII.

Vltra tria prædicta, quæ ſunt partes Pœnitentiæ, neceſſarium eſt ad verè pœnitendum, vt remouens prohibens rei alienæ iniuſtè ablatæ, vel detentæ, reſtitutio; non tamen neceſſitate medij, ſed tantùm neceſſitate præcepti diuini & humani, quare qui rem detinet alienam inuito Domino, vel etiam iniuſtè abſtulit, moraliter, aut phyſice, ſiue in bonis fortunæ, ſiue perſonæ, ſiue in bonis animæ, ſecundùm modum poſſibilem, reſtituere debet damnificato, & hoc ſtatim effectu vel affectu, ſi tamen vergat talis reſtitutio in detrimentum eius, vel tertij, non debet ſtatim reſtituere effectu.

CIV.

Reſtitutio præſupponit homines in particulari rerum dominium & proprietatem habere, per diuiſionem dominiorum, quæ fuit facta in ſtatu naturæ lapſæ, non iure naturali, aut diuino, ſed humano, potuit autē hæc diuiſio eſſe iuſta, ſi fuit facta à lege poſitiua iuſta, ſiue lata à Patre, ſiue à Principe, ſiue à communitate iuſtè regnante vel regente.

CV.

Diuiſionem dominiorum ſequitur tranſlatio eorundem, quæ poteſt eſſe vel quantùm ad dominium & vſum ſimul, vel quantùm ad dominiū tantùm, vel quantùm ad vſum tantùm, & hoc aut authoritate legis, aut voluntate proprij domini, qui talè dominium transferre poteſt, vel per actum merè liberalem, qualis eſt in donatione, vel liberalem ſecundùm quid, qualis eſt in permutatione, emptione, venditione, alijſq; contractibus, & ſi iſtæ tranſlationes fiant ſecundùm præſcriptum legis, & ſine fraude, iuſtè fiunt, ſi autem fiant cum aliqua deceptione, vel ſuperioris prohibitione, omninò ſunt iniuſta.

CVI.

Tempus pœnitendi eſt quodlibet tempus viæ, & propterea pænitentia vera ſiue interior ſola, ſiue exterior, cum ſuſceptione Sacramenti pœnitentiæ, ſufficit ad ſalutē etiā in extremis, regulariter tamē talis pœnitentia, vix eſt vera propter impedimenta, quibus tunc inuoluitur homo.

CVII.

Poſt hanc vitam poſſunt aliqua peccata dimitti à Deo, non tamen mortalia

mortalia, quoad offensam, & pœnam æternam, sed quoad temporalem; venialia verò, quæ non puniuntur à Deo, siue hîc, siue in inferno, vel Purgatorio, nisi pœna temporali, & nullo modo æterna, etiãsi cum mortali sint coniuncta, multa prædicto modo dimittuntur.

CVIII.

Peccatum acceptum pro reatu & obligatione ad pœnam peccatis correspondentem, per potentiam Dei absolutam idem numero redire potest, licet per resipiscentiam dimissum fuerit, secundùm tamen potentiam ordinatam, nusquam redit. Possunt etiam redire peccata dimissa eadem numero, vt circumstantiæ aggrauantes subsequentia peccata, quæ magis vitare debuit recidiuans, & ratione gratitudinis, & fidelitatis, quàm quicunq; alius.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij.

CIX.

SAcramentum vnctionis extremæ fuit possibilè institui à CHRISTO DOMINO, & congruum, & ita de facto fuit ab ipso institutum, & à D. Iacobo promulgatum, cuius perfecta definitio hæc est: Extrema vnctio, est vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote simul verba certa, cum intentione debita proferente, ex institutione diuina, efficaciter significans curationem finalem venialium.

CX.

Hæc ratio seu definitio Sacramenti vnctionis non est in se falsa, nec vna pars alteri repugnat. Materia proxima & signum extrinsecum in hoc Sacramento est vnctio, significans interiorem vnctionem curatiuam. Materia remota est oleum ab Episcopo benedictum. Minister est Episcopus vel Sacerdos. Forma est illa quę his cõtinetur verbis: Per istam sacram vnctionem &c.

CXI.

Ordo eſt nouæ legis Sacramentum, accipiendo ordinem non pro aliquo gradu eminenti in Eccleſia, ſed pro ordinatione ſeu inſtitutione in gradu Eccleſiæ, quæ ordinatio fit à Miniſtro idoneo, certa verba proferente, cum aliquo ſigno viſibili, miniſterium illius ordinis repræſentante, ex inſtitutione diuina, efficaciter ſignificans gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur.

CXII.

Sacramentum Ordinis eſt à ſolo CHRISTO DOMINO inſtitutũ, & eſt vnum vnitate generica, continens ſub ſe ſeptenarum ordinationum ſeu ordinum numerum, in quantùm eſt vnum Sacramentum. An verò Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à Sacerdotio vel non, videant Canoniſtæ. Hoc certum eſſe debet, nobiliſſimum in Eccleſia ſimpliciter actum eſſe conſecrationẽ Euchariſtiæ, & ille cui competit talis actus, ſcilicet Sacerdos, eſt in nobiliſſimo collocatus Sacerdotij gradu.

CXIII.

Materia huius Sacramenti eſt tum inſtrumentorum porrectio, tum etiam manuum impoſitio, & alia viſibilia ſigna. Forma ſunt illa verba quæ Epiſcopi habent in ſuis libris Epiſcopalibus, & illis vtuntur vt forma: in Sacerdotio tamen ſunt duæ formæ partiales. Proprius Miniſter eſt ſolus Epiſcopus, nec vnquam Eccleſia Preſbyteros, vel Diaconos, ab alio quàm ab Epiſcopo ordinatos agnouit, aut recepit. Eius effectus eſt perpetua & ſpiritualis poteſtas ad ſuum munus, in cuius ſignum character imprimitur, & ad eius bonum vſum gratia confertur.

CXIV.

Ex pœnis Canonicis quæ ſunt numero ſeptẽ: Depoſitio, Degradatio, Infamia, Irregularitas, Excommunicatio, Interdictum, & Suſpenſio, quinq; vltimæ, non impediunt à ſuſceptione & collatione ordinem de facto, ſed vna cum illis ſtat ratio Miniſtri ſuſcipientis, intentio, & reliqua neceſſaria, de iure tamen prohibent, ſic quod illicitè contrarium attentatur. Similiter ætas puerilis nullomodo impedit à collatione ordinum de facto, benè tamen ſexus muliebris.

CXV.

Matrimonium eſt de iure naturali & diuino poſitiuo in ratione contractus

tractus, qui licet ex se non sit sufficienter bonus bonitate morali, est tamē rectè circumstantionabilis debitis & honestis circumstantijs. In ratione etiam Sacramenti est de iure diuino, institutū à CHRISTO DOMINO, non tamen in statu iñocentię, vel in lege Mosayca, sed in lege Euangelica.

CXVI.

In lege noua contractui Matrimoniali annexit Deus Sacramentum propriè dictum. Cuius materia remota sunt ipsi contrahentes, materia proxima & forma sunt actus contrahentium expressi verbis vel signis, nō tamen prognosticis sed demonstratiuis. Minister non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes.

CXVII.

Aliud est matrimonium, aliud contractus Matrimonij, & aliud Sacramentum Matrimonij, neq; tamen Matrimonium vt est indifferens ad ista est æquiuocum, sed de primo, quod significat, dicitur in recto, de reliquo verò quod connotat in obliquo, secundùm constructionem transitiuam. Est autem Matrimonium viri & mulieris coniunctio maritalis, inter legitimas personas vitam indissolubilem retinens. Congruū autem est talem coniunctionem esse indissolubilem, præcipiente id lege diuina & naturali.

CXVIII.

Consensus requiritur ad Matrimonium & Sacramentum Matrimonij, vt dispositio præuia, non tamen quicunq; sed expressus, per verba de præsenti, non coactus, sed liber & voluntarius, non ille qui sequitur rationem vel apprehensionem ęrroneam, sed qui concomitatur scientiam omnium conditionum requisitarum, per se ad talem contractum, quarum duæ se tenent ex parte contrahentium, & vna ex parte contractus.

CXIX.

Potest aliquis contrahere Matrimonium cum proposito statim vouendi castitatem, & qui hoc modo contraheret, verè contraheret, neq; talis contractus præiudicat voto castitatis, sicut nec vsus Matrimonialis sub conditione implicita in illo contractu inclusus, nisi illa conditio & res ponatur in effectu, & ideò vbi est certitudo quod nunquam ponetur in effectu, ibi nullo modo præiudicat voto castitatis talis contractus, quare inter Beatissimam Virginem MARIAM & Ioseph fuit verū Matrimonium.

CXX.

Tria sunt Matrimonij bona: Sacramentum, Fides,& proles gratanter acceptanda, & religiosè educanda, & hoc sub conditione si videlicet eueniat, quare est necessariùm coniuges sibi mutuò reddere debitum, hæc tamen reddendi debiti obligatio intelligitur, nisi alterius petendi vel vterque amiserit, & nisi fortiori & maiori vinculo obligetur ad non reddendum, tunc enim reddere non debet.

CXXI.

Bigamià & Pòligamià multorum coniugum successiua, tàm viris quàm fœminis permissa fuit in lege Mosayca, & nunc in lege noua non est prohibita. Multorum verò simul omnibus in lege Euangelica prohibetur, in lege tamen Mosayca quo ad hoc dispensatum fuit à Deo, & ideò potuit esse iusta ex parte contrahentium, & debitè circumstantionabilis, & accedente Dei ordinatione necessaria.

CXXII.

Bigamiæ est annexa irregularitas, quare qui Bigamus fuit siue antè Baptismum siue post, est irregularis; homicida verò antè Baptismum, post Baptismum irregularis non est. Omnes Bigami sunt arcendi ab ordinibus sacris, & hoc est valdè congruum, propter defectum signi, & repræsentationis personæ CHRISTI in comparatione ad Ecclesiam, qui solus fuit Ecclesiæ perpetuus sponsus.

CXXIII.

Repudiare & dimittere vxores Moyses vt legis Diuinę promulgator Iudæis permisit, quare repudium fuit licitum in illa lege ex dispensatione Dei, qui sicut dispensauit cum Patribus in Bigamià, propter bonum pròlis, ita dispensauit cum illo populo duro & rudi in repudio ad vitandum vxoricidium. Pro tēpore verò legis Euangelicæ, pro quo CHRISTVS DOMINVS reduxit Matrimonium ad primam sui institutionem & integritatem, repudiare non licet.

CXXIV.

Impedimenta Matrimonij simpliciter sunt illa, quibus existentibus si fuerit attentatum nihil fit, hæc autem quædam se tenet ex parte contractus, & sic inuoluntarium ex scientia, & similiter inuoluntarium ex ignorantia,

rantia, & defectu notitiæ præcedentis, siue totalis siue aliqualis, necessariò tamen prærequisitę ad contractum impedit Matrimoniũ simpliciter.

CXXV.

Quædam etiam impedimenta tenent se ex parte contrahentium, qui in tali contractu debent sibi tradere mutuò corporũ potestatem, & ideò talis tradendi impotentia, siue proueniat à natura, siue à casu, si sit perpetua impedit simpliciter, secus verò si perpetua non sit. Huc etiam reducitur impotẽtia ex iustitia, qua scilicet est alteri alligat⁹, & defect⁹ætatis.

CXXVI.

Ex lege verò & statuto Ecclesiæ, quæ nihil determinando circà formã vel materiam huius contractus Sacramentalis, aliquas illegitimauit personas, faciendo eas incapaces huius contractus, desumuntur impedimenta simpliciter, illa scilicet quæ oriuntur ex propinquitate nimia contrahentium inter se, vel ad cultum diuinum specialem applicationem, & alicuius alterius criminis horrendi enormitate.

DE RESVRRECTIONE VNIuersali mortuorum.

CXXVII.

RESurrectio Vniuersalis, quæ est iterata hominum mortuorum productio, est possibilis ex parte Dei; ex parte quoq; hominum reproducendorum, nulla est in hoc ratio impossibilitatis: quod etiam de facto sit futura; veritas fidei Christianæ docet, in qua omnes tàm electi quàm reprobi resurgent.

CXXVIII.

Futuram hominum resurrectionem, si quis naturali ratione demonstrare vellet, talem demonstrationem à specifica hominis forma, vel operatione eidem secundùm hanc formam competentẽ, & non aliundè accipere deberet; nulla tamen talis demonstratio afferri potest, licet similitudinibus & topicis rationibus possit ostendi & declarari.

CXXIX.

Nullum agens naturale quantumcunq; perfectum, potest esse causa efficiens, principalis, vel minùs principalis, resurrectionis mortuorum, sed soli virtuti actiuæ diuinæ subest talis hominum productio. Et licet agens naturale posset idem numero reproducere, non potest tamen eò modo, quo ibi reproductio fiet.

CXXX.

Licet resurrectio actiua non sit possibilis, nisi à causa supernaturali excedente totum ordinem causarum creatarum, & à causa libera, liberè agente, & propterea & ex parte principij actiui, & ex parte termini sit futura simpliciter supernaturalis; resurrectio tamen passiua erit naturalis, vt naturale opponitur violento.

CXXXI.

Resurrectio quoad collectionèm puluerum materialium Corporis resuscitandi, quæ fiet ministerio Angelorum, non erit in instanti sed in tempore, quo ad animationem autem & Corporis formationem, quæ fiet virtute diuina, erit in instanti, & in eodem instanti.

CXXXII.

Non omnes homines simul resurgent, sed resurrectio eorum qui inuenientur tunc mortui, duratione præcedet resurrectionem eorum, qui inuenientur viui. Fiet verò resurrectio in loco determinato vniuersi, & hora determinata, non erit tamen media nocte, sed de die.

CXXXIII.

In resurrectione mortuorum non redibit totum id, quod fuit de veritate naturæ humanæ pro quocunq; tēpore vel instanti vitæ, sed redibūt partes puriores genitæ ex nutrimento, quæ aliquando fuerunt partes illius corporis, & partes contractæ à parentibus, quæ fuerunt inter omnes purissimæ.

CXXXIV.

Corpus resurget in debita densitate & magnitudine tanta, quanta fuit vel fuisset in fine triginta annorum si homo vixisset : resurget autem reformatum ex eadem materia, ex qua tempore quo vixit fuit composi-

tum; cum capillis & alijs naturæ ornamentis; omnes etiam resurgent in eadem ætate, non tamen in eadem quantitate.

DE INFERNO ET IGNE Infernali.

CXXXV.

Fide certò & infallibiliter tenendum est dari infernum, qui est quidam locus tenebrosus, & carcer damnatorum, sub terra seu in centro & corde terræ, in quo est ignis non solùm metaphoricus & similitudinarius, sed realis, corporeus & sulphureus, qui in æternum durabit, & nõ extinguetur in sempiternum. Hoc igne cruciabuntur spiritus nequam, & homines damnati, qui ex illo cruciatu summo afficientur dolore.

CXXXVI

Dolor tamen propriè sumptus vt distinguitur à tristitia, non est possibilis in Angelis, vel animabus separatis, sicut nec appetitus sensitiuus vel sensus: dolor verò sumptus pro tristitia, potest in illis esse, & de facto est in malis Angelis, qui causatur nõ ex apprehẽsione ærronea obiecti disconuenientis, sed ex obiecto disconuenienti, vt nolitũ est ab ipso.

CXXXVII.

Illud obiectum sic disconueniens, est ignis infernalis, qui caussat tristitiam in spiritu malo, non quidem detinendo eum effectiué, nec etiam detinẽdo illũ tantũ definitiué, sed detinẽdo definitiué & imutãdo obiectiué p modũ obiecti discõueniẽtis, nõ quidẽ ex suapte natura, sed secũdùm nolitionem & odium, quo odit detentionem ab igne ex decreto diuino, inclinante eum ad tale odium affectione commodi &c.

CXXXVIII.

Ignis infernalis cruciat spiritus nequam effectiué, secundariò tamen minùs principaliter & per modum instrumenti, Deus autem cruciat illos vt causa principalis, & ideò dæmon principaliùs odit & non vult detineri in igne, vel consideratione ignis ex voluntate diuina, quàm ipsam formalem ignis detentionem, qua detinetur ab igne virtute primi agentis.

CXXXVIIII.

Homines etiam damnati cruciabuntur igne infernali: cum verò sola actio intentionalis, sit sufficiens ad dolorem inferendum, conuenientiùs est dicere, ignem intentionali tantũ actione agere in damnatos: quod si ponatur eos cruciari ab igne actione reali, & tamen nunquam corrumpi, hoc erit attribuendum dispositioni diuinæ miraculosæ conseruanti vitam illorum.

CXL.

Nullus quantumcunq; miser propter miseriam pœnæ quam sustinet, potest vel debet appetere & desiderare non esse, & totalem annihilationẽ sui, secundùm dictamen rationis rectę; ad fugiendam tamen miseriam culpæ, vel peccatum, potest quis rectè velle tollerare mortem, ab alio sibi inferendã, aut quoduis suppliciũ & annihilationẽ sui; seipsum verò interimere, vel annihilare nullomodo debet, aut velle ordinatè potest.

CXLI.

Quamuis homines damnati & miseri, miseria animæ & corporis, debeant satiùs velle se non esse, quam in peccato & in blasphemia in Deũ permanere: nihilominùs tamen vero simile est, illos appetere non esse, potiùs ob pœnã, quam patiuntur, quam propter culpam fugiendam: cuius causa est obstinatio in malo; & quanquam desiderabunt mori, nunquam tamen morientur, sed mors fugiet ab eis.

CXLII.

Damnatorum pœnas, quæ consistunt in pœnalitate ignis, remorsu conscientiæ, & tristitia concomitante, videbunt & cognoscent beati, non quidem in genere proprio, sed in essentia diuina, videndo autem eas, non gaudebunt de ipsis absolutè, sicut nec Deus ipse, sed solùm propter iustitiam & ordinationem culpæ: pœnas verò quæ consistunt in priuatione non videbunt in essentia diuina.

CXLIII.

Hæ damnatorum pœnæ erunt inæquales, & magis punietur vnus quam alius, & pœna damni, seu carentia diuinæ visionis, quæ erit maior in his, qui grauiùs deliquerunt, & pœna sensus seu ignis, vermis etiam seu remorsùs conscientiæ, magis cruciabit vnum quam alium ita ordinante

diuina

diuina voluntate, requirente iustitia, & de meritorum inæqualitate, in exte nsiua tamen pœna, omnes omninò erunt æquales.

DE STATV ANIMÆ SEPARATÆ & beatorum.

CXLIV.

ANima rationalis separata à corpore per corruptionem totius compositi, potest extra corpus existere, intelligere, & moueri de loco ad locum, non tamen motu organico, quo mouet corpus dum est in ipso, sed motu inorganico, quo etiã mouebit corpus gloriosum post iudicium totum simul, & non vna parte mota, & alia quiescente.

CXLV.

Anima etiam separata à corpore, potest intelligere illa, quæ sibi antè separationem fuerunt nota, concurrente ad talem intellectionem, intellectu & specie intelligibili, non quidẽ influxa à Deo, vel intelligentia, sed per modũ naturalẽ acquisita, quę etiã species remanet in intellectu, cessante omni actu intelligẽdi, per modũ habitus, quo ad rationẽ permanantiæ.

CXLVI.

Poterit etiã anima separata, acquirere cognitionẽ alicuius priùs ignoti, & hoc tàm intuitiuam, quàm abstractiuam, concurrente ad intuitiuã obiecto in actuali existentia præsente, & intellectu; ad abstractiuã verò, specie intelligibili, gerente vicem obiecti, & etiam intellectu.

CXLVII.

Cum verò in anima separata sit eiusdem prorsus rationis memoria, atque in anima coniuncta, poterit anima separata, secundùm illã memoriam, exire in actum, & recordari præteritorũ, quæ nouerat vt coniuncta: est autem recordatio, cognitio seu cogitatio alicuius actus præteriti ipsius recordantis in quantùm præteritus est.

CXLVIII.

In parte sensitiua est ponenda memoria, & licet possent actus & operationes animaliũ probabiliter saluari, non ponendo memorationem

propriè in eis, sed solùm imaginatiuam cognitiuam obiecti, quod est prę-teritum licet non vt præteritum, tamen ea quæ videmus in actibus eorũ, faciliùs saluantur ponendo in eis memoriam, & ideò ponenda est.

CXLIX.

Memoria etiam propriè dicta & actus recordandi est ponendus in parte intellectiua, & perfectiùs quã in parte sensitiua, quæ licet in anima coniuncta sit inseparabilis à memoria sensitiua, in anima tamen separata erit sine ipsa, sicut & reminiscentia.

CL.

Beati recordabuntur peccatorum, quæ aliquando comiserunt in hac vita, ex hoc tamen nulla in ipsis generabitur tristitia, quod proueniet vel à Deo suspendente & impediente, ne talis peccatorum recordatio in beatis tristitiam pariat, vel propter contrariũ excellens, & complens capacitatem passi, quod est gaudium de obiecto beatifico.

CLI.

Beati naturaliter seu in genere proprio vident & cognoscunt orationes viatorum, cum vocales, tum etiã mentales, modò imoderata distantia non impediat, & debita præsentia adsit, videndo autem orationes nostras pro nobis intercedunt & iuuant nos, non obstante beatitudinis statu, orant autem habitualiter pro omnibus electis, actualiter verò tantùm pro illis, à quibus inuocantur.

CLII.

Cognoscunt etiã beati orationes nostras, cognitione supernaturali, seu in verbo, hæc tamen cognitio, non est necessaria ex ratione beatitudinis, neq; regulariter in verbo, aut per reuelationem, quia tamen valde congruum est, quòd beati sint coadiutores Dei in procuranda electorum salute; ideò communiter illis reuelat Deus orationes nostras, quibus eorũ imploramus auxilium.

DE IVDICIO, IVSTITIA, ET MISERICORDIA DEI.

CLIII.

IVdicium Vniuersale acceptum propriè pro sententia diuina publica & efficaci, de reddendo vnicuiq; iuxta opera sua, est possibilè esse, & satis congruum

huius impassibilitatis, nō est carentia qualitatū mixti in corpore beati, sed est id, à quo impedientur qualitates corruptiuæ in sua actione corruptiua, & illud erit voluntas diuina, non coagens causæ secundæ corruptiuæ.

CLXXIV.

Erunt etiam corpora beatorum agilia, est autem agilitas habilitas in aliquo toto, ad promptè se mouendum secundùm locum, ex perfectione virtutis motiuæ, & congrua dispositione corporis proueniens. Huius agilitatis causa in corpore beato, non est aliquid supernaturale corpori beato, superadditū defluens ab anima in corpus, sed est intensio virtutis motiuæ, & amotio impedimentorum in organis virtutis motiuę.

CLXXV.

Fulgebunt quoq; beati sicut sol ratione claritatis, qua corpora ipsorum sunt exornanda à Deo, hæc autem claritas beatorum, quæ est refulgentia quædam, manifesta & perspicua, non erit æqualis in omnibus beatis, sed secundùm maiora vel minora merita, vnus erit clarior alio. Dicente Apostolo. Alia est claritas solis &c.

CLXXVI.

Propter dotem subtilitatis, corpora beatorum erunt subtilia, ratione cuius locum non occupabunt, & ideò poterit esse corpus gloriosum simul, cum corpore non glorioso, pro arbitrio animæ beatæ; & hæc erit illius corporis perfectio, & beatitudo, quæ etiā quia iure debetur beato ex ordinatione ipsius Dei, vocatur dos.

CLXXVII.

Non erit æqualis omnium electorum beatitudo, sed vnus magis beatificabitur alio. Ista verò inæqualitas, non est ex obiecto beatifico, neq; etiam ex ratione potentiæ passiuæ absolutè, sed causa illius prima erit voluntas diuina, quæ ita statuit & decreuit remunerare electos, causa verò secundaria voluntas beatorum charitate formata, quæ sicut in diuersis erit diuersa & inæqualis, ita diuerso & inæquali gaudebit præmio, quælibet tamen sua sorte erit summè contenta. Omnium verò beatorum est futurū par gaudiū extensiuè, & omnes regnabunt cum CHRISTO & Deo in æternum. Cui sit laus honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

PROBLE-

PROBLEMATA EX EODEM quarto libro Sententiarum Doctoris Subtil.

1. Vtrum ſola fictio Baptiſmi, remittatur per pœnitentiam.
2. Vtrum character ſit forma abſoluta, vel reſpectiua.
3. Vtrum ſubſtantia panis in tranſubſtantiatione in Corpus Chriſti, annihiletur.
4. Vtrũ macula quæ manet in peccatore tranſeunte actu peccati interiori & exteriori ſit ſola ordinatio ad pœnam.
5. Vtrum ignis infernalis agat in corpora damnatorum actione intentionali tantùm.
6. Vtrum in Deo ſit vnica iuſtitia re & ratione.
7 Vtrum virtus motiua in corpore glorioſo mouens corpus inorganicè ſecundùm totum, ſit diſtincta à virtute motiua organica

Ad laudem SS. Trinitatis & Beatiſsimæ V. Mariæ, ac Beatiſsimi Patris noſtri Franciſci honorem.